

349

*Harprecht, Arb.*

*De lege Salsicia pp.*

44/56818

~~BIBLIOTHEK  
DES  
KONIGL. PREUSS.  
OBER TRIBUNALS  
ZU  
BERLIN~~










380144/56814(8)



55

375. n

# Disputatio

DE  
LEGE FALCIDIA: FIDEICOMMISSIS: ET CODICILLIS.

Quam,

. A. D.

SUB PRÆSIDIO

## CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI VIRI, D.

IOHANNIS HARPPRECHTI, V. I. D. ET  
*in illustri Tubingensium Academia Antecessoris ce-*  
*leberrimi, Praeceptoris sui summè honorandi, ad*

*17. Iulij, privati exercitij gratia, hora*  
*locog, solitis defendere*  
*conabitur*

IOHANNES CHRISTOPHORVS AB  
Offheim.





TUBINGÆ,


Typis Ioan. Kircheri, 1598.

Handwritten notes in the right margin, including 'XXX' and 'XXV'.

330



  
NOBILISSIMO, AC  
MAGNIFICO VIRO, DOMINO  
GÆDEONI *ab Ostheim: Illustrissimi Ducis  
VVirtembergici, &c. Consiliario intimo,  
& Tubingensium Præfecto superiori  
dignissimo: Domino Agnato suo  
summa obseruantia  
colendo.*

 VEMADMODVM, VIR NOBILIS-  
sime, Agnate charissime, tria potissimum ad  
agriculturam requiruntur: solum nimirum fer-  
tile, semen bonum, agri denique diligens, & ex-  
quisita cultura: ita quoque ad solidam eruditionem com-  
parandam tria ut plurimum conferre videntur: natura, si-  
ve ingenij bonitas, doctrina, & exercitatio. Ceterum quam  
exiguum in me sit ingenium (quod quidem ad quamlibet  
artem addiscendam vim adfert maximam) licet probe per-  
spectum cognitumq; habeam: nec etiam me fugiat, quam  
mediocri vel potius nulla valeam doctrina: tamen cum  
usus, omnium Magistrorum præcepta facile superet, atq;  
de sententia Ciceronis ea, quæ bona sunt, exercitatione  
meliora reddantur, quæ non optima, acui tamen aliquo  
modo possint: non abs re me facturum putavi; si, post-  
quam animum ad iuris studium applicauerim, eique iam  
per temporis aliquod spacium, quamuis per exiguum, ope-  
ram nauauerim, exercitationes quoque, & disputationes  
adiungerem. Sed cogitanti mihi, cui nam potissimum haf-

);(

cc



ce studiorum meorum primitias dedicarem; te, siue debi-  
ti obsequij erga te rationem habeam, siue beneficiorum  
in me collatorum magnitudinem considerem, nemo ne-  
que dignior, neque magis idoneus occurrebat. Nam tua  
tanta, tum in me, tum fratres meos extant benemerita; ut  
nisi vicissim grati aliquam animi significationem erga te  
ederem: ingratitude haud iniuste insimulari queam.  
Hoc igitur ut à me bono studio profectum est; ita, quin pro  
tua insigni in me beneuolentia, cuius memoria gratissi-  
ma, apud me perpetuò duratura est, vultu sereno sis ac-  
cepturus, planè non ambigo. Quod superest; D E V M,  
benefactorum omnium retributorem largissimum, ar-  
dentibus votis oro, obsecroque; ut te quàm diutissimè su-  
perstitem atque incolumem conseruare dignetur. Datum  
Tubingæ, 12. Iulij, Anno CHRISTI, 1598.

M. ac N. T.

obseruantis.

Iohan. Christ.

ab Osth.

Dispu-

DE  
LEGE FALCIDIA:  
FIDEICOMMISSIS: ET  
CODICILLIS.

Thesis 1.



V M olim L. 12. Tabularum libera esset legandi facultas, ita ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare: post L. Furiam, & Voconiam, quarum neutra sufficiens ad rei consummationem videbatur, tandem L. Falcidiâ larâ eiusmodi licentia coarctata est. Idque in fauorem testatorum prouisum est: ne videlicet, herede ob nullum aut minimum lucrum hereditatem repudiante, intestati decederent.

§. 1. *Inst. h. t. L. 120. verbis legis. ibiq; Gæd. ff. de V. Sig.*

2.

Huius L. duo constituuntur capita. Primum concedit liberam potestatem testandi & relinquendi legata usque ad dodrantem. *a* Secundo cauetur, ut ultra dodrantem legare nemo possit: vel, si plus legatum sit, quarta pars legatis defalcetur: eamque heres non solum per retentionem, sed etiam rei vindicationem consequi possit. *b*

*a* *l. 1. ff. h. tit. ad L. Falcid. ibiq; Duaren. c. 1.*

*b* *d. l. 1. & l. penult. C. eod. VVesenb. in parat. h. Schneid. & alij Instit. h. in princ.*

3.

Et licet testantium gratiâ hæc Lex sit introducta: tamen etiam ab intestato locum habet, ut in mortis causa donationibus, & alijs ultimis voluntatibus.

*l. 15. l. 18. ff. h. l. 5. C. eod. l. ult. C. de donat. mortis causa.  
Duaren. c. 5. h.*

4.

Imputantur autem in Falcidiam ea tantum, quæ iure hereditario capiuntur. *a* Et quidem antè deducendæ sunt funerum impensæ, æs alienum, preciumque seruorum manumissorum, quàm ratio L. Falcidiæ ineatur. *b*

*a l. 74. l. in quartam. 91. ff. hoc tit. Schneid. & VVesemb.  
h. circa princ. Instit. num. 2. Duaren. c. 8.*

*b §. fin. Instit. h. l. in imponenda. 6. C. eod. l. penult. ff.  
de religiof. & sumpt. fun. l. si seruus 33. cum l. sequenti. ff. h. t.*

5.

Cæterum quantitas hereditatis mortis tempore æstimatur: ita ut tam commodum, quàm incommodum postea contingens ad heredem tanquam dominum, non verò legatarium spectet.

*§. quant. Instit. h. tit. l. quod bonis. 15. §. quod auus. vers.  
plane. l. cum quo. 56. in princ. l. in quantitate. 73. in princ.  
ff. eod.*

6.

Cessat denique hæc Lex quibusdam in casibus. *i.* si testator quartæ detractionem expressè prohibeat. *a* *2.* si ea lege aliquid à testatore relictum sit, ne alienetur à legatario, eiusque successoribus. *b* *3.* in legatis ad pias causas relictis. *c* *4.* si heres scienter vel iuris errore integra legata soluat: *d* & modis quibusdam alijs. *e*

*a Authent. sed cum testator. C. hoc tit. Nou. 1. cap. 2.  
in fin.*

*b Authent. sed & in care. C. hoc tit. Nou. 119. c. 11.*

*c Authent. similiter. C. hoc tit. N. 131. c. 12.*

*d l. error facti. 9. C. d. tit. l. error. 7. C. de iur. & fact.  
ignor.*

*e puta si heres inuentarium non confecerit. d. N. 1 cap.  
2. §.*

2. §. 2. *si legatum subtraxerit: si res hereditarias negauerit: si post iudicis decretum, intra annum voluntatem defuncti non impleuerit. saepe cit. N. i. c. i. §. i. c. 2. & c. 4.*

7.

Fideicommissa sunt dicta ex eo, quòd olim nullo iuris vinculo, sed tantum pudore seu fide eorum, qui rogabantur, continebantur; atque adeò in mero tantum heredis arbitrio positum erat, velint rem suæ fidei commissam exoluere, nec ne.

§. 1. *Inst. de fideicommiss. hered. quod tamen (cum inhumanum sit, fidem fallere. l. 1. ff. de pactis. quam testator secutus est) hodie immutatum est, per §. ult. Institut. de fideicommiss. hered.*

8.

Diuiduntur fideicommissa in uniuersalia & singularia. Vniuersalia sunt ( de quibus tanquam dignioribus priore loco agendum ) cum fidei committitur heredis, ut hereditatem alteri, aut totam, aut pro parte restituat.

*l. 1. 2. 3. & 4. ff. ad S C. Treb. & tot. tit. Institut. de fideicommiss. hered. & t. seq.*

9.

Fideicommissa relinquere ab ijs possunt, qui testamenti factionem, siue testandi ius habent.

*l. 1. in princ. & §. hi quibus. ff. de leg. 3. l. Diui Severus. 6. §. penult. & l. consiciuntur. 8. §. Codicilli. ff. de iure Codicill.*

10.

Et sanè relinquuntur fideicommissa tam ex testamento, quàm ab intestato.

§. 1. *ubi Schneid. Institut. hoc tit. l. 1. §. hoc autem. & l. recusare. 6. §. meminisse. ff. ad S C. Treb.*

Testamento fideicommissaria defertur hereditas, si quis recto iure prius sibi heredem instituat, eiusque fidei committat, ut alteri hereditatem istam restituat.

*§. in primis. Instit. hoc t. de fideicommiss. hered. d. l. i. §. hoc autem. ff. ad S. C. Treb.*

Ab intestato defertur hereditas fideicommissaria: si quis Codicillis, vel Epistola, vel Libello, aut nutu quoque heredem suum, vel testamento institutum, vel legitimum, aut honorarium rogat, ut alteri hereditatem restituat.

*§. directo autem. Instit. de Codicil. Caius lib. 2. Instit. t. 7 in princ. l. conscribuntur. 8. ff. de iure Codicil. §. praterea intestatus. Instit. hoc t. l. & in Epistola. 2. 2. C. de fideicommissis. l. & sine scriptura. 5. C. ad S. C. Treb.*

Planè fideicommissa relinqui possunt vel purè, vel sub conditione, vel ex certo die.

*§. potest autem. vers. & liberum. Instit. de fideicommiss. hered. Vultei in princ. d. t. n. 11.*

Si verò fideicommissum ab aliquo relictum neque scriptura, neque quinque testibus, vel omnino nullis probari possit, heresque perfidià tentus illud adimplere nolit: fideicommissarius illi, si prius ipse de calumnia iurauerit, iuramentum deferre poterit, ut aut iuret, nihil suè fidei commissum esse, aut si id facere recuset, ad solutionem teneatur.

*§. fin. Instit. h. t. & l. ult. C. de fideicommissis.*

Hinc in disceptationem vocari solet: utrùm heres iuramentū sibi delatum, fideicommissario referre possit? Et quam

quàmuis nonnullis affirmatiua arrideat opinio: ramen negatiua ut receptior, ita quoque legibus magis consentanea est.

*Secundùm Mysing. n. 9. Schneid. n. 2. & VVesemb. n. 14. in d. §. finali. Inst. h. t.*

16.

Porro circa modum restituendæ hereditatis duo Senatusconsulta facta sunt: Trebellianum & Pegasianum. Verùm Iustinianus sublato posteriore, omnem eius vim, ac potentiam in Trebellianum transfudit.

*§. sed quia stipulati. Instit. h. t. ibiq. Interpretes.*

17.

Quo SC. Trebelliano dispositum est: ut heres fiduciarius hereditatem adeat, eamque fideicommissario restituat: deductâ tamen quartâ; quam, licet à testatore expressum non sit, ipso iure retinere potest.

*l. i. §. si heres ff. ad SC. Treb. d. §. sed quia. Inst. h. t.*

18.

Quòd si heres fiduciarius hereditatem adire detrectet: officio iudicis cogitur adire, eamque totam absque quartâ (quam vulgò Trebellianicam appellant) detractione fideicommissario restituere tenetur.

*Sæpe d. §. sed quia. Institut. h. l. 14. §. qui compulsus. ff. ad SC. Treb.*

19.

Restituta itaque hereditate, tam commoda, quàm incommoda hereditaria inter heredem & fideicommissarium pro rata cuiusque portione diuiduntur.

*d. §. sed quia. Instit. hoc tit. l. si eius. 64. §. si quis. ff. ad SC. Treb. ibiq. VVesemb. in paratit. n. 6.*

20.

Ceterùm sunt nonnulli alij casus, quibus quartâ detra-

Etio locum non habet: si nimirum heres totam hereditatem scienter soluerit: *a* vel voluntatem defuncti intra annum à iudice definitum non impleuerit, &c. *b*

*a* *Authent. sed cum testator. §. item si. l. error facti. 9. C. ad l. Falcid.*

*b* *de quibus dictum supra thesi. 6.*

21.

Hæc de fideicommissis uniuersalibus: sequuntur singularia, quæ quia per omnia quo ad effectum legatis sunt exæquata: de illis hîc multa dicere superuacaneum videtur. Præcipua autem differentia in eo consistit: quòd hæc directis verbis, & immediatè: illa precatiuus, & mediatè relinquuntur.

*l. 1. ff. de leg. & fideicommiss. VVesenb. in paratit. cod. num. 10.*

22.

Accedamus igitur ad Codicillos: qui nihil aliud sunt, quàm ultima quædam voluntas minus solennis, coram quinque testibus declarata.

*§. ult. Instit. de Codicill. & ibi in princ. num. 3. Schneid. l. ult. C. de Codicil. Cuiac. in parat. ff. & C. cod. Donellus lib. 7. commentar. cap. 18.*

23.

Fiunt Codicilli respectu formæ duobus modis. Nam vel scripto fiunt, cum voluntas scribitur: vel sine scripto, cum voluntas imperfecta coram testibus, verbis nuncupatur. *a* Et quidem voluntas illa sine scripto declarata non minus valet, quàm scripta. *b*

*a* *l. ult. C. de bon. libert. l. generali. C. de sacrosanct. Eccles.*

*b* *l. ult. §. ult. C. de Codicillis. l. & sine s. C. ad s. C. Treb.*

Codi-

Codicillos facere possunt omnes, qui testandi ius habent. *a* Sed quæstionis est: an persona statuto testari prohibita, ut si minor 25. annis testamentum condere prohibeatur, Codicillos nihilominus facere possit? Affirmativam ut humaniorem, & æquiores amplectendam puto.

*a* *l. diui. 6. §. Codicillos is demum. l. conficiuntur. 8. §. 1. ff. de iure Codicil.*

*b* *Statuta enim strictè & propriè accipi debent, maximè cùm iuri communi derogant. Propriè autem appellatione testamenti Codicilli non veniunt. l. si idem. 7. C. de Codicillis. Deinde statutum & quodcunque ius aliud nouum correctorium, ultra casum, de quo agit, non est extendendum. l. precipimus. 32. in fin. C. de appell. authent. quas actio. C. de Sacrosanct. Eccles.*

Hic & illud quæritur: an fideicommissarius & legatarius in Codicillis testes esse possint? Nos negatiua sententiæ communiter receptæ standum arbitramur.

*Vvesenb. in paratit. de testamentis. num. 11. argum. l. nullus. 10. ff. & l. omnib. C. de testibus. §. legatarijs. Instit. de testament. ibiq. Interpretes. Ioseph. Mascard. volum. 1. de probationib. conclus. 308. n. 7. ubi & alios citat.*

Planè non solum testatores: sed ij etiam, qui ab intestato decedentes fideicommissum relinquunt, ius faciendi Codicillos habent.

*§. non tantum. Institut. de Codicil. l. si quis. 3. ff. de iure Codicill.*

Olim quidem Codicilliantes, vel post testamentum facti non valebant, nisi testamento fuerint confirmati: sed hodie nisi expressè reuocentur, ipso iure confirmari intelliguntur. *d. l.*



Licet verò Codicilli à testamentis discriminentur varijs modis: *a* præcipua tamen differentia, qua maximè à se inuicem separantur, hæc est: quòd hereditas in Codicillis neque dari, neque adimi, *b* aut conditio institutioni adijci, vel substitui directò, *c* ut in testamentis, potest.

*a* quos videre licet apud Roland. in tract. de Codicillis, in rubr. in quibus differ. & conuen. Testament. & Codicil.

*b* §. Codicillis autem. Instit. hoc tit. l. 2. in princ. C. eod.

*c* d. §. Codicillis. in fine. vide Donel. lib. 7. comment. c. 19.

An autem ad hoc, ut relicta in Codicillis debeantur, requiratur hereditatis aditio, valdè controuersum est? Vbi sciendum: aut factum esse testamentum, & tunc eo subsistente, ex testamento requiri aditionem: *a* aut factum non esse, vel factum quidem, sed non valere, & tunc necesse esse, ut ab intestato adeatur hereditas: alioqui relicta non debentur. *b*

*a* prædicta l. si quis. 3. §. fin. ff. de iure Codicil.

*b* l. 2. ff. de fideicommiss. libert.

Illud insuper adijciendum: relicta in Codicillis conditione ex lege, vel utili actione ex testamento peti, si Codicilli non fuerint testamento cõfirmati. Aliàs enim directâ actione ex testamento agi posse, probabilius videtur.

*Mynsinger. & Schneid. in fine Instit. de Codicill.*

# Parerga.

1.

Statuta Laicorum, quando sunt contra libertatem Ecclesiasticam, Clericos non ligant.

*Auth. cassa & irrita. C. de Sacrosanct. Eccles. cap. Ecclesia S. Maria. 10. de Constitutionib. ibique latè Panormitanus. Andr. Gail. libr. 2. observationum practicar. obseruat. 32.*

2.

Consuetudo abrogat & emendat legem scriptam.

*l. de quibus 32. §. 1. ff. de legibus. Everhard. Bronchorst. cent. 1. evayrio Cavōn, assert. 4.*

3.

Iuramentum metu & vi extortum in foro conscientiae obligat: in foro externo non item.

*Andr. Fachincus libr. 8. Controversiar. iur. cap. 102.*

4.

Ambiguum vel obscurum pactum contra venditorem, stipulatorem, & locatorem interpretandum est.

*l. veteribus. 39. ff. de pactis. l. Labeo. 21. ff. de contrah. empt. l. stipulatio. 38. §. in stipulationib. ff. de verb. obligat. l. in contrahenda. 172. ff. de reg. iur.*

5.

Si quis compressam ab alio & vitiatam pro virgine duxerit: matrimonium rescindi nequit.

*Latè*



*Latè & eleganter VVesenb. in paratit. ff. de rit. nupt.  
num. 8. Bronchorst. cent. 2. ἐναυτιοφανών, assert. 17.*

6.

Ad matrimonium contrahendum omni iure tam di-  
vino, quàm humano, item ciuili & canonico, requiritur  
de necessitate consensus parentum.

*Genes. cap. 24. & 28. Deuteronom. cap. 7. Exod. 22.  
Thobie. 6. Ephesior. 6. §. 1. Institut. de nupt. can. 1. 30.  
q. 5. can. non omnis. 32. q. 2. can. nostrates. 30. q. 5. cap. 1.  
de desponsat. impuber. & cap. 3. Qui matrim. accusar. poss.  
Coraf. lib. 1. Miscellan. iur. cap. 17. num. 6. & seqq. Ol-  
dendorp. classe 4. action. 26. Duarenus ad tit. ff. soluto ma-  
trim. cap. 2. Balduinus, Baro, Mauserus & Borcholt in d.  
§. 1. Institut. de nupt. Idem Borcholt in tract. de gradib.  
pag. 40. & plurib. seqq. plenè Ioach. à Beust de ma-  
trimon. cap. 45. Bronchorst predicta  
cent. 2. assert. 15.*

Τέλ. Ⓞ.



di-  
ur


19 0373 721  
1821

380/44/56818(8)







X13<4456818800018

RECEIVED  
MAY 17 1904  
U.S. DEPT. OF AGRICULTURE  
WASHINGTON





x-rite



colorchecker CLASSIC

100% cotton